



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 88. Articuli in Ferrariensi Synodo discutiendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.

A. C. 1438.

tus est Pontifex, ut crederet, quod utraque Ecclesia Orientalis, & Occidentalis Ferrariæ in legitima Synodo, ad quam omnes Principes & Prælati vocati essent, congregata existeret. Præterea statutum, Sessionem secundam, ut unicuique facilis pateret accessus, nonnisi quatuor mensibus post primam decursis celebrandam esse, intermedium vero tempus particularibus congregationibus dicendum, in quibus sexdecim Viri doctrina celebres ex Latinis, ac totidem ex Græcis seligerentur, qui in disputationibus, ac collationibus juxta præscriptas leges institutis, in medium proferrent, quæ circa Articulos in ipsa Synodo examinandos pronuntianda forent.

§. LXXXVIII.

Articuli in Ferrariensi Synodo discutendi.

Potissimi vero erant sequentes quinque.

I. De Processione Spiritus sancti.

II. De

tinuator noster severum veritatis assertorem deprædicat, percipiamus: *Secedit magna pars Patrum, quæ Pontifici erat insensa, & Concilium in Italia nullo pacto volebat: hæc factio ex vili plebe magna ex parte constabat; quamvis duces haberent Cardinalem Arelatensem, & nonnullos alios Prælatos.*

II. De additione particulæ: *Filioque*, in Sæcul. XV. Symbolo facta. III. De purgatorio, & A. C. 1438. statu animarum ante iudicii diem. IV. De usu Azymorum in Sacro Missæ sacrificio. V. De primatu Auctoritatis sedis Apostolicæ.

Hoc stabilito, summus Pontifex literas encyclicas dedit, quibus omnes Principes, ac Prælatos hortatus est, ut intra quatuor menses Ferrariam accederent, interfuturi Concilio, in quo præsentibus totius orbis Christiani Monarchis, Orientales, & Occidentales populi in unitatis, pacisque gratiam eo fine convenire festinarent, ut deinceps nonnisi unicus grex sub uno, eodemque Pastore esset. Inde parabantur omnia, quæ ad celebrandam primam Sessionem necessaria erant. Hæc in Actis Augustini Patricii tertia nominatur propter duas priores, quæ ante Græcorum adventum coactæ fuerant; cum vero illæ potiori titulo nonnisi prævia Synodi introductio appellari valeant, atque insuper Acta Romana nonnisi ad octavam Octobris diem Sessionem primam reponant, in qua de processione Spiritus sancti tractari coeptum, cum hæc quæstio præcipue Ecclesiam Orientalem ab Occidentali tamdiu divisisset, ideo & nos impostertum eidem insistemus ordini, ne numeri diversitas materiæ confusionem ingerat.

Act. Patricii
to. 13. Conc.
p. 1556.